

ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat,  
 Graia Canopitis incola litoribus.

† hi dii veni ibi † vario ne solum in numine caeli  
 60 ex Ariadneis aurea temporibus  
 fixa corona foret, sed nos quoque fulgeremus,  
 devotae flavi verticis exuviae,  
 uvidulam a fluctu cedentem ad templa deum me  
 sidus in antiquis diva novum posuit:

65 Virginis et saevi contingens namque Leonis  
 lumina, Callisto iuncta Lycaoniae,  
 vertor in occasum, tardum dux ante Booten,  
 qui vix sero alto mergitur Oceano.

sed quanquam me nocte premunt vestigia divum,  
 70 lux autem canae Tethyi restituit  
 (pace tua fari hic liceat, Ramnusia virgo;  
 namque ego non ullo vera timore tegam  
 nec, si me infestis discerpent sidera dictis,  
 condita quin vere pectoris evolam):

75 non his tam laetor rebus quam me afore semper,  
 afore me a dominae vertice discrucior,